



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

Pars VI. De Modo proficiendi in Scientia Ascetica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

## PARS VI.

DE MODO PROFICIENDI  
IN SCIENTIA ASCETICA.

**M**odum hunc egregiè sapientissimus Salomon exemplo suo docuit, dum Sap. 7. dixit: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia: & prapofui illam regni, & sedibus &c.* per hæc enim verba sat clarè ostendit, se tria præcipuè media adhibuisse ad Sapientiam comparandam, nempe desiderium, orationem, & propriam cooperationem; quæ proinde ab ijs quoque, qui Scientiam Asceticam bene addiscere capiunt, adhibenda erunt; quâ ratione autem ea in praxi utilis panda sint, jam nunc ostendetur.

## CAPUT I.

DE DESIDERIO AD SCIENTIAM  
ASCETICAM ADDISCENDAM  
NECESSARIO.

**I.** **Q**uantopere desiderium, conducat ad Scientiam Asceticam, ipsâque adeò perfectionem consequendam, clarè iterum Salomon Sap. 6. ostendit dicens: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia: & facile videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui querunt illam.*

illam. Praoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Initium enim illius est verissima disciplina concupiscentia. Quod quidem S. Bernardus aded verum putavit, ut ep. 123. dicere non dubitavit: *Indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Hinc S. Thomas, ut videre est p. 1. l. 3. c. 17. hist. Prædicatorum. Sorori quærenti, quâ ratione salvati posset? respondit: *Si volueris, salvabere.* Hoc sanè desiderium, inquit S. Augustinus tr. 4. in ep. 1. Joan. *Sinus est, hic saccus, & quia angustus est, extenendo facis capaciorem.*

II. Porro ad desiderium hoc excitandum tria potissimum excitare jure merito possunt, & debent. 1. Iplius Magistri dignitas & Nobilitas; nam ut rectè S. Ambrosius dixit, *Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri? quid autem præstantius Christo DEI Filio? Qui ipse S. Brigittæ l. 6. revel. c. 27. dixit: Quid te delectat audire opera mundanorum & bella Procerum? & cur tali auditu inani occuparis? cum ego sim omnium Dominus, nullâque delectatio sine me in pretio habenda sit. Si cupis audire facta magni Domini: si considerare opera magnalia, debes nique audire & considerare facta mea, que intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatu stupenda, & auditu admiranda.* 2. Iplius etiam Scientiæ præstantia, quæ sequenti capite fusiùs demonstrabitur. 3. Auxiliorum ad eandem addiscendam paratorum copia & efficacia; cum enim DEUS ardentissimè desideret, hanc scientiam ab Hominibus addisci, & practicari, hoc ipso etiam paratissimus est ad copiosa auxilia (sine quibus nihil nos posse cognovit) pro hoc fine offerenda.

## CAPUT II.

DE ORATIONE AD SCIENTIAM  
ASCETICAM ADDISCENDAM  
NECESSARIA.

I. QUàm necessaria sit oratio ad hanc scientiam ad-  
discendam, vel ex eo colligitur, quòd, teste  
S. Jacobo c. I. *Omne datum optimum, & omne do-  
num perfectum desursum sit descendens à Patre lumi-  
num; cùm ergo Scientia Ascetica utique inter data  
optima, & dona perfecta numerari mereatur, merito  
etiam illa desursum à Patre luminum descendere, ad-  
eòque per orationem instantèr peti, & efficaciter im-  
petrari debet. Quamobrem idem Apostolus tam sol-  
licitè monet: Si quis autem vestrum indiget scientiâ,  
postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non  
improperat, & dabitur ei. Id quod egregiè confir-  
mans S. Chrysostomus l. 1. de orando DEO, arbitror,  
inquit, cunctis esse manifestum, quòd simpliciter im-  
possibile sit absque precationis presidio cum virtute degere,  
cùmque hac vite hujus cursum peragere. Etenim  
qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisi continenter sup-  
plex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur  
Homini. Quam doctrinam adeò certam esse credi-  
dit S. Augustinus, ut hom. 40. dicere ausus sit: rectè  
novit vivere, qui rectè novit orare. Et verò ipsa expe-  
rientia id ipsum copiosè quoque confirmat, quâ ha-  
betur, quàmplurimos licet minùs literatos per ora-  
tionis medium summos in hac scientia progressus fe-  
cisse, ut adeò verè pius Asceta l. 3. c. 43. in Persona  
Christi dixerit: Ego sum, qui doceo hominem scientiam*  
(Alce-

(Asceticam videlicet, ut ex contextu patet) & clarior  
rem intelligentiam parvulis tribuo, quam ab Homine  
possit doceri. Cui ego loquor, cit. sapiens erit, & mul-  
tum in Spiritu proficiet. Ego sum, qui hamilem in  
puncto elevo mentem, ut plures aeternae veritatis capiat  
rationes, quam si quis decem annis studuisset in scholis.

II. Porro qualis hæc oratio esse debeat, memo-  
ratus Apostolus I. c. sat clarè indicavit, dum dixit: Po-  
stulet autem in fide, nihil hesitans. Nam, ut ipse  
quoque servator Matth. II. monuit, omnia, quaecun-  
que orantes petitis, credite, quia accipietis. Certè qui  
sic à DEO scientiam Asceticam postulant, meritò si-  
bi illam S. Bernardi l. 5. de quadr. sententiam applicare  
possunt: Nemo nostrum parvipendat orationem suam:  
dico enim vobis, quòd ipse, ad quem oramus, non par-  
vipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse  
scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubi-  
tante sperare possumus, quoniam aut dabit, quod peti-  
mus; aut quòd novit utilius. Cùm ergo nihil uti-  
lius dilectione atque adeò etiam ipsâ scientiâ Ascetica  
dilectionem docente reperiat, meritò sperare po-  
test, se eam certò impetraturum, quisquis eam instan-  
ter, & ardenter à DEO petierit.

### C A P U T III.

#### DE COOPERATIONE AD SCIEN- TIAM ASCETICAM OBTINEN- DAM NECESSARIA.

I. **Q**uantopere hæc cooperatio necessaria sit, clarif-  
simè jam olim Sponsa Cant. I. indicavit, dum  
ingens quidem desiderium conjunctionis cum sponso  
Z 3 per

per illa verba : *Osculetur me osculo oris sui* : indicatum : & orationem per verba illa : *traheme* : infirmam atque à se adhibitam ostendit , sed tamen etiam suam cooperationem addidit dicens : *Currensus in odorem unguentorum tuorum* : Quod ipsum etiam S. Paulus 1. Cor. 15. confirmavit dicens : *Gratia autem DEI sum id , quod sum* : & *gratia eius in me vacua non fuit , sed abundantius illis omnibus laboravi*. Porro hæc cooperatio in sequentibus terè industrijs consistit.

II. Prima industria est generosa vitiorum & passionum inordinatarum mortificatio : sic pius Asceta l. 3. c. 43. suavit dicens : *stude mortificationi vitiorum , quia hoc amplius tibi proderit , quàm notitia multarum difficultatum questionum*. Id quod per ipsam experientiam confirmat dicens : *Quidam amando me inveni didicisse divina , & loquebatur mirabilia : plus profecit in relinquendo omnia , quàm in studendo subtilia*. Ubi adeò hîc quoque vel maximè locum habeat notum illud axioma : *Tantum proficies ( in scientia Ascetica ) quantum tibi vim attuleris .*

III. Altera industria lectio spiritualis est , per quam addisci facilius potest , quod ad hanc scientiam Asceticam pertinet , quàm per vivos Instructores , cum plerumque ea , quæ in libris traduntur , præcepta majori cum consideratione excogitata , ac meliores in ordinem digesta , plurimumque Censuram iudicium approbata sint. Hinc S. Isidorus l. 3. de summo bono c. 8. ait : *Qui vult cum DEO esse , frequenter debet orare , & legere . Nam , cum oramus , ipsi cum DEO loquimur : cum verò legimus , DEVS nobiscum loquitur . Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit .*

Porro duplicis generis libri Ascetici sunt, qui de hac materia scribunt; aliqui enim ex Instituto totam Ascetice bono ordine digestam tradunt, & tales sunt P. Jacobus Alvarez, P. Ludovicus de Ponte, P. Hugo Roth in via regia P. Bernardinus Rosignolius, & similes; alij sparsum & sine ordine potiores Ascetice doctrinas pertractant, uti P. Alphonsus Rodriguez, P. Petrus Pennequin in Isagoge ad amorem divinum, P. Eusebius Nierenbergius de adoratione in Spiritu & veritate, P. Lucas Pinellus de Perfectione Religiosa; Theophilus Bernardinus de Perseverantia Religiosa; item varij tractatus S. Francisci Salesij, opera varia R. D. Ludovici Blossij & similes, ex quibus omnibus magnus in scientia Ascetica profectus hauriri potest, si lectio illorum utili fine suscepta, constanter & fructuose peragatur.

IV. Tertia industria est frequens cum Ascetice Magistris collatio, de cujus necessitate Sapienter Cassianus Collat. 24. c. 16. sic discurret: *Etenim cum omnes artes & disciplina humano ingenio reperta (qua & nihil amplius quam vite hujus commodis profunt) licet manu palpari queant, & oculis pervideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeunt comprehendere, quàm ineptum est credere, hanc solam non egerere Doctore, qua & invisibilis, & occulta est, & qua non nisi corde purissimo pervidetur: cujus error non temporale damnum, nec quod facile reparatur, sed anima perditionem parit, mortemque perpetuam.* Meritò ergo Ascetice Discipulus sibi applicat, quod olim Tobias Senior Juniori dixit, dum is à Parente in Rages proficisci jussus diceret: *Viam per quam pergatur illuc, non cognosco. Cui Pater: Perge, & inquire tibi al-*  
Z 4 *quem*

quem virum fidelem, qui eat tecum. Nam, ut sapienter notavit S. Vincentius Ferrerius in tr. de vita Spir. Christus (sine quo nihil possumus) nunquam suam gratiam ministrabit illi, qui, cum habeat, qui eum deducat in via perfectionis, negligit ductum ejus, credens sibi, sufficere, & per seipsum investigare, & invenire, quae sunt utilia ad salutem. Ipsum certè Gentium Doctorem, & totius Ecclesiae Patrem S. Paulum DEUS ad Ananiam instruendum misit, ut nemo præsumeret, Magisterium perfectionis assequendae sibi ipsi arrogare, sed potius ab alio cum debita subjectione & humilitate addiscere conaretur.

V. Quarta industria est *Exemplorum à sanctis relictorum consideratio*: nam, ut rectè S. Basilius opusc. 49. c. 7. dixit, *Vita beatorum Hominum literis tradita sunt velut imagines quaedam viva divina reipublica ad bonorum operum imitationem proposita*. Unde quemadmodum Pictores, quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum Opificium inde transferre conantur, ita oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, sanctorum vitas velut simulachra quaedam viva & efficacia respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere.



INDEX